

1760 56
2127

D. ERNESTI CHRIST. WESTPHAL.
ANTECESSORIS HALENSIS
PROGRAMMA
DE DVPLICI ACTIONE
RESTITVTORIA
OMNIBVS FERE IN INTEGRVM
RESTITVTIONIBVS PRAETORIIS
COMMUNI.

HALAE MAGDEBURGICAE MDCCCLX.
OB RARITATEM RECVSVM MDCCCLXXVIII.

VII.


LITTERIS HENDELIANIS.

DE RENESCI CHRISTI HISTORIA
ANTICHISSIMA
PROGRAMMA
DE DAPLICI ACTIOINE
RESISTATORIA
OMNIBVS TERRÆ INTEGRVM
EXPLANATIONIS PRACTICÆ
COMPLIANT

HANAE MAGDALENAE MDCCCLX
S. KIRCHAM METATRONI MAGDALENAE

THEATRIS EUDROMIAE

IV



§. 1.

Quid indissimilissima Iuris Scientiae amplitudine do-
ctrinæ quædam compendia circumspiciunt,
quorum lumine plura simul argumenta col-
lustrari, eaque tamquam fasciculo quodam
comprehensa in memorie custodiam deponi
possint: ii sane similes sunt his, qui vastam regionem
emensuris colles quosdam commonstrant, vnde spacioissimæ
eius partes radio ac regulæ præsto sint. Nolo in horum ca-
natum, qui ista ad compendia tendunt, laudibus vterius
prouehi, ne circum foraneorum more instituti mei inflata
bucca ineptum agere videar præconium. Sufficet dixisse,
me iam, vbi scribere aliquid constitui, ad eius, de qua di-
ctum est, indolis, argumentum animum adiunxisse. E tri-
uiis forsan hausta credent nonnulli ea, quæ hic tradere de-
creuimus, vbi inscriptionem opusculi inspicient, cum tritissima
sit restitutionum materia. Verum audiant nos prius
cauissam orantes, tumque vel absoluant, vel condemnent,
vel sibi non liquere pronuntient.

§. 2.

Qui duplicitis actionis ex restitutionibus in integrum vo-
ces audient, hi varias instituti nostri capient conjecturas.

A 2

Qui.



Quidem nos de notissimo illo dupli medio *rescindente* ni-
mirum & *rescissorio* agere putabunt. Verum nihil nobis
cum hac distinctione iam negotii est, quam probe expeditius
Illust. cocceii in *Iure Controv. Lib. IV. tit. 2. Qu. 3.* Alii
nobis illam distinctionem in mente esse credent, qua quā-
dam actiones ex restitutionibus oriundæ dicuntur *in rem*,
quedam *in personam*, cui 10. iust. RAABE differuit *de*
duplici actione Paulliana, Marp. 1753. Sed ista distinc*tio*
nec nobis probatur, nec adeo integrum restitutionum do-
ctrinam illustraret. Vnde & hanc præteruehimus. Com-
monstraturi potius sumus non nisi duo fundamenta esse, ex
quibus quæcumque fere restitutio a iudice peti, & quibus
exstantibus absque scrupulo restitutio & exigi & concedi
queat. Quæ si vera sunt, filum habebimus, quo duce omnis
restitutionum campus omni superata difficultate, peragrari
poterit.

§. 3.

Quid sit restitutio, & quæ sint eius divisiones, an den-
tū eriam ciuiles & quæ sunt huius generis alia, iam trans-
mittimus, vt ab instituto nostro remota; dicturi tantum de
restitutionibus prætoriis & iis quidem vnde agitur aduersus
quemquam in casu detrimenti cuiusdam, quod patimur.
Remouemus ergo eas, quæ ad iudicem tantum diriguntur;
quæ breui manu fiunt; vbi neglectuum quorumdam in lite
iudiciali a iudice venia impetratur. Scilicet omnium resti-
tutionum prætoriarum fundamentum est æquitas. Hoc in-
ter Iureconsultos omnes transactum est, & ipse profitetur
MARCELLVS l. 7. D. de restit. in integr. verbis: ut ratio
& æquitas postulabit. Sed quidnam æquum est Praeto-
ri, vt sciri queat inuenienda restitutio*nis* ratio? Dicam.
Duæ sunt æquitatis partes vnde hæc regulæ:

i) Quo-



5

- 1) *Quoties addicentibus Legibus civilibus alter ex alterius damno proficeret, qui nulla suo culpa istam legum duritatem meruit: toties Iesus ab altero, lucrum, quod habet, repetendo, commodis suis restituitur.*
- 2) *Quoties alter dolo suo ac fraude, vel interdum quoque culpa, alteri innocentia detrimentum legibus civilibus adscendentibus impune adferret: toties fraudulentam, vel interdum culpa effectam, lassionem reparando, Iesum restituit Prætor.*

Vtraque regula applicando optime probabitur. Iam id tantum probationis loco monendum, istas regulas omnibus prætoriis actionibus communes esse, superfructas illis præcipue esse conditiones omnes & in factum actiones. At quoties restitutionis petitio actio in factum dicitur? v. l. 28. in fin. de dolo malo vbi C A I V S: Sed utique in hæredem perpetuo dabitur: quia non debet lucrari ex alieno damno & in fine; perpetuo danda sit in factum actio. De fraude vel culpa infra magis disputabitur. Id modo subiiciendum, solere hoc loco semper monere Doctores excitatis expressissimis legibus, deficiente demum actione ciuili, remedio Prætorio locum esse, quod maxime in restitutione ex capite doli urgent. Vid H V B E R. *Prælect..ad D. Tit. de dolo malo.* Verum tam multæ sibi iniucem contrariae legis hic tenebris rem inuoluunt, vt difficile sit commonere istud dissidium. Nobis ita videtur. Regulæ contexendæ hæ:
1) *Ex stante alio remedio ordinario æque utili & cognito, non procedendum ad extraordinarium.*
2) *Exstante remedio ordinario vel extraordinario, famam non grauante, non properandum ad extraordinarum quod famæ officit, modo reus dignus sit cui parcatur.* Vide statim eligi potest iudicium extraordinarium.

a) Si iuste ignoretur, quoniam medium competat?

b) Si



- b) Si extraordinarium sit optimus, quare actio doli eligi potest præ actione ex stipulatu, præscriptis verbis, conditione indebiti, eamdem ob causam actio de metu eligi poterat intra quadriennium præ querela nullitatis, post quadriennium secus. vid. *Egregius Vir b o E H M E R V S Tr. de action. Sect. II. c. n. §. 43. not.*
- c) Si ordinaria quidem suppetant iudicia, sed aequa famosa, statim ad extraordinarium famosum transitus patet; indignus enim reus aduersus quem iuris subtilitates applicentur.
- d) Qui metum intulit potest pro libitu actoris vel de metu, vel de dolo conueniri. Eadem est ratio. Adversarii sibi videntur l. 7. §. 9. de dolo male, collata cum lege 25. & l. 20. §. 1. eod. Sed præclare rem extricat *CVIACIVS Comment. ad h. t. dum distinguit*, an adversarius secum ex integro agi patiatur, an non, quo in primo casu actio doli cessat, secundo secus. Idem egregie citato loco ostendit, minime pugnare l. 9. §. 4. h. cum l. §. 4. §. vlt. ff. de re iudicat. & l. 69. de solut.

§. 4.

Remedium restitutorum ex priori regula profectum, datur aduersus quemuis possessorem, qui cum dispendio alterius patrimonium auxit, etiam si optime sit fidei. Datur præterea ista actio ordinario per XXX. annos. Etiam hoc singulæ restitutionum species docebunt. Nec potest aliter contingere. Si enim ratio agendi est lucrum alterius, sequitur, ut vbiunque illud deprehenditur, ibi locum habeat actio. Hinc vero non concludendum actionem istam esse realem. Realis enim est, non quæ aduersus quemuis possessorem dirigi potest, sed quæ ex iure reali, seu in re oritur, non obligatione seu iure cum persona coniuncto, & vel ex aequi-

7

æquitate, vel ex pacto, vel ex maleficio enata. *§. i. Inst.*
de Actione. Vnde non probanda actionis Paullianæ in rem
seu realis denominatio. Hæc enim ut infra patebit, est ve-
ra actio restitutoria. Si hoc, est ex æquitate, non ex iure
reali, hinc numquam in rem actio quicquid forsitan loco quo-
dam Iustiniano, imprudenti exciderit. Aliud quippe est,
erga quemuis possessorum actionem intendere ob ius rei,
quam ille possidet inherens, sive quasi non cum possesso-
re, sed re negotium habere, & hanc ubique persequi, ali-
ud vero nunc hunc nunc illum actione pulsare, nunc in hoc,
nunc in illo æquiratis ratio est. Actiones autem personales,
quorsum & illæ, quæ ex æquitate proueniunt, triginta an-
nos durant, per notissima iuris principia. In legibus hæc
actio dicitur post annum dari. Si quis velit eam in rem scri-
ptam dicere, nobis libentibus id faciet, modo sciatur, non
solam actionem quod metus caussa id nominis mereri, sed &
ex aliis restitutionis clausulis similia orixri, iudicia.

§. 5.

Actione quam secunda regula parit non datur, nisi con-
tra eum, qui in dolo fuit, vel interdum in culpa, dum rem
acquireret, sed tantum per breve tempus quadriennium vel
biennium. Datur igitur hæc quoque contra quemuis pos-
sessorum, sed tum modo, si dolum culparum sustinuit, et
iam si lucro omni careat, etiam si nihil nunc possideat, modo
possederit olim. Qualitatibus hic eadem ratio, que *spho pæc.*
cedente. *Terminum quadriennii præstituit IVSTINIA-*
NVS I. vlt. Cod. de tempor. in integr. restit. Breuiores sunt
actio de dolo & de alienat. iud. mutand. caussa fact. ut vul-
gatissimum est. Haud raro penam aliquam contumacia
habebat adiectam. Eam ob caussam utile quoque erat pri-
orem actionem de qua *§. pæc.* diximus intra tempus idem
intendere, quod præstatum erat huic secundæ, quoniam
tunc



tunc ista inobedientis pena lucro cedebat actoris. Nam & priorem actionem hoc penæ lucrum continuisse vid. apud VULPIANVM l. 15. ff. quod met. causs.

§. 6.

Si quis ob fraudem & dolum rei restituenda ex aequitate Praetoria necessitatem sustinet, & actor pretium quoddam pro ea accepit, aut, si minorenitatis ergo restitutio facienda, actor adhuc in lucro quodam est pro re tributo, lucrum illud reo pro redditione rei retribuendum est. Si vero aduersus bonæ fidei possessorem agatur, is non restituit, nisi redditio sibi prius pretio, quod dedit. Sic in PAVLIANA distingimus, sic in restitutionibus minorum, sic disputat in restitutione ex capite metus GVBER in Prælect. ad ff. tit. quod met. causs. §. 4. in eo censura dignus, quod malefidei reo nihil omnino pretii restitui velle videtur, licet in bonis habeat actor lucrum ex te restituenda; bonæ fidei vero possessori pretium quidem aliquod reddi vult, ast non id, quod dedit, sed quod inter id quod reus dedit, & quod actor accepit, est minimum. Portentosa sane dicisio. Rationes ita subducendæ. Prætor vult resarcire damna, quorum causa est nequitia alterius; hoc aequaliter est. Non vult me ob eius malitiam opulentiorum fieri. Hoc nimis a Legibus ciuilibus recederet. Ergo, si quod lucrum intus habeo, reddendum etiam nebuloni antequam rem restituat. Est veleti malefidei possessor, titulo instructus, cui per iuris præcepta decerpere, aut saltim tollere licet ea, quorum utilitatem vindicator cum dispendio restitutoris consequeretur. Tantum tribuit restitutio, quantum abstulit laesio. Probus vero & innocens possessor eo tantummodo ad restituendum tenetur, ne cum damno aliorum opulentior sit. At, si, quod pro te dedit, non recipere, non tantum opulentior non esset, verum etiam insigniter laederetur, nullam aliam ob

❧ ■ ❧

9

ob causam, quam ut alii qui nulla re ipso melior, nisi quod
æque Iesus, lafione careret. Quod sane foret eximum
æquitatis specimen.

§. 7.

Hinc intelligi quoque poterit, nullam actionem restitu-
toriam dari aduersus hæredes cuiusquam ut tales, sed tan-
tum, si quid ad eos peruenit. L. 2 ff. que in fraud. cred.
Nam si nihil ad eos peruenit; nec potest contra eos agi, ne
cum damno aliorum opes colligant, nudi enim sunt eiusmo-
di opibus; nec ex fraudulenta possessione defuncti conueniri
poterunt, fraus enim personæ inhærebat iure Romano & in
hæredem non transmittebatur. *Iure Canonico & vnu bodi-
erno secus est, vbi adeo ex criminis defuncti ad rei persecu-
tionem hand secus agitur aduersus hæredem, quam si ex con-
tractu debetur, quantum sufficiunt vires hereditatis.*

§. 8.

*Si obligatio remissa aut alienata, vel actio in rem: idem
tenendum quod de rebus alienatis dictum est. Nam in aliis
etiam actiones in rem, paria cum ipsis rebus iura habent.
L. 15. ff. de R. L. & obligationes in hac causa præcipue com-
parantur rebus. V. VLPIANVS l. 10 §. 22. Que in
fraud. credit. Generaliter sciendum est ex hac actione resti-
tutionem fieri oportere in pristinum statum: sive res fuerunt
sive obligationes. Itaque si remissa est actio; semper restitui-
tur, quia debitor cum aliorum damno ditesceret: si alienata;
videndum an ii, ad quos transiit, in fraude sint, an in lu-
cro, in vtroque casu per iudicem compellandi sunt, vt
supra.*

§. 9.

*Si itaque nemo adsit, qui aut lucrum habeat, aut prau-
tatem exercuerit, cessat restitutio. Cessat enim æquitas re-
scindendi negotia stricto iure valida. Vnde tam sape in le-
gibus*

B



gibus dicitur, aduersus tertium b. f. possessorem hic non agi, si res non amplius exstet. i. e. si in bona fide sit, simulque a lucro & commodo alienissimus.

§. 10.

Ius patrium in hac doctrina tradunt IO. SCHILTER in *Praxi Iur. Rom.* b. t. & ex eo NIC. HIERON. GVNDLING in *Comp. Digest.* b. t. nec non CHRIST. THOMASIVS in *Not. ad Pand.* b. t. IO. FRID. WAHL *Diff. de usu restit. in integr. Praetor. in Iudic. Germ.* Res eo reddit. Nostrates ignorarunt, restitutions. Quæ carum in legibus patriis occurrunt vestigia, ex iure peregrino videntur decerpta. Hodie in aliquibus casibus, vbi Romanis restituzione succurrendum erat, ea possumus supersedere. In reliquis applicamus Praetori Edicti benignitatem.

§. 11.

Actio PAVLIANA, cuiusnam sit indolis actio, disceptant. *Quidam* in rem esse, tamquam pro aris & focis propugnant. Alii contra in personam esse, magna contentione sustinent. At hi iterum in duas diuisi sunt factiones: *alii* ex maleficio deriuant, *alii* ex æquitate. *Quidam* hercicundi, non vnam, sed duplicum esse actionem Paulianam docent, alteram realem, alteram ex maleficio in personam. Hæc omnia reiicienda. Actio Pauliana est restitutoria. Per eam fieri restitucionem in integrum diserte tradit VLPIANVS l. 10. §. 22. Quæ in fraud. Credit. §. 8. excitata. Ea quoque est ratio cur Imperatur §. 6. I. de Action. eam reffectoriæ, quæ indubie restitutoria est, contnuo subiungit. Eamdem ob causam durat per annum utilem, seu hodie, quadriennium continuum, vt reliquæ restitutions. Si hoc est: non disceptandum amplius, cuinam fundamento superstructa sit. Scilicet non oritor ex facto aliquo dominio, quod non opus est; non ex maleficio, quod sœpe non cadit in reum



reum hac actione pulsatum: sed ex æquitate illa Prætoria, quæ omnibus restitutionibus communis est, & prohibet, ne quis cum alterius damno aut lucrum, aut fraudis impunitatem habeat. Datur creditoribus chirographariis post missio-nem quidem in bona debitoris obaerati non tamen ob aliena-tiones post missionem impetratam factas, harum enim caussa opimius pignus Prætorium est. Probat hæc contra secus censemtes SCHILTER l.c. Exercit. 46. th. 51. Vid. HVBER Praelect. ad Pand. b. t. Debitor etiam si animam debeat ta-men iure ciuili rerum suarum dominium continuat. Vnde validæ sunt omnes e patrimonio factæ alienationes. Sed ini-quum est, ut creditores, ad quos iam potiori iure bona debitoris pertinent, quam ad debitorem ipsum, quippe cuius facultates non intelliguntur, nisi deducto ære alieno, suo iure fraudulentur, aliisque, his circumuentis, rem faciant, aut eis fraude obiecta illudant. Inde restituuntur creditores in integrum.

§. 12.

Action Pauliana duplex est. Altera datur contra eum, qui locupletior est, altera contra dolosum, etiam si vtilitate careat. Prior est perpetua, posterior ad annum vtilem, seu hodie quadriennum, adstricta. Si debitori obligatio remis-sa est ab obaerato, tamquam creditore; non liberatur debitor, sed Pauliana agunt creditores debitoris obaerati, ac si remissio facta plane non esset L. 10. §. 22 ff. b. t. Si res alienata, & quis lucrum percepit ex fraude debitoris, datur contra hunc, quisquis sit, actio, post annum, siccine per tri-ginta annos ut lucrum ei extorqueatur. VLPIANVS l. c. §. 24. Hæc actio post annum de eo, quod ad eum peruenit, aduersus quem actio mouetur, competit. Iniquum enim Prae-tor putauit, in lucro morari eum qui lucrum sensit, ex frau-de; (scil. debitoris) Id circa lucrum ei extorquendum iuta-uit.



uit. Siue igitur ipse fraudator sit, ad quem peruenit, siue
alius quiuis: competit actio in id, quod ad eum peruenit, dol-
loue malo eius factum est, quoniam perueniret. Inde si dona-
ta cuiquam res sit a debitore, hic ad eam reddendam abs-
que omni circuitu compellitur. Is vero qui in lucro non
est, attamen malignus; qui emit rem iusto precio; qui etiam
iterum vendidit, & pecuniam inde redactam forsan profudit,
tenetur vel rem ipsam reddere, vel, si deest, solidum, quod
habuit, eius pretium L. 9. eod. Sed haec actio per annum
utilem tantum procedit Ait PRAETOR L. 1. f. b. t. Quæ
fraudationis causa gesta erunt cum eo, qui fraudem non
ignorauit, de his intra annum quo experiundi potestas fue-
rit, actionem dabo. Tempus computatur a die factæ alien-
nationis L. 10. § 18. b. Si premium pro re accepit debitor:
malefice fidei reo id redditur, quanto patrimonium obserati inde
ad hunc auctum est L. 7. 8. b. Cum vero per l. 6. § 11. in hos
qui ignorantes ab eo, qui soluendo non sit, liberalitatem acce-
perunt, bacenus actio danda sit, quatenus locupletiores facti:
ultra non; patet, his, antequam restituant premium, quod
dedere, esse reddendum. In quo utrumque fundamentum
deficit, is nulla actione pulsandus L. 9. eod. Is, quia debito-
re, cuius bona possessa sunt, sciens rem emit, iterum ali bo-
na fide emenri vendidit; queſitum est: an secundus emtor
conueniri possit. Sed verior est Sabini sententia, bona fide
emtorum teneri -- quemadmodum diximus non teneri eum;
si ab ipso debitore ignorans emerit. Recte igitur obseruat
ZASIVS ad §. 6. Inst. de action. eum, cui donata est res, si
eam perdiderit, non teneri. Eamdem ob rem non agitur
aduersus creditorem, qui sibi vigilauit, i. e. qui ante mo-
tum concursum nomen exigit, quod planissime traditur l. 10.
§. 16. l. 24. eod. vt non audiendi sint, qui cum STRVVI
in Exerc. ad Pand. Exerc. 44. th. 81. distinguunt, an credi-
to-

tōres æqualis conditionis concurrant, an non, & *ibi* regulam admittunt, *hic* secus. Quod enim trāditur *l. 18. §. vlt. l. 19.* ff. de *Iur. Fisci* & *l. 5. Cod. de priuile. fisci*, fisco peculiare est, ad alios Creditores non trahendum. Pone malæ fidei emtorem rem alii bona fide accipienti donasse; hic conuenietur Pauliana. Pone, bona fide dona ab obārato accipientem, his iterum in alios liberalitatem exercere, & sic largitatem istam ad tertium, quartum, decimum, procedere; ultimus possessor semper iudicio restitutorio conueniri poterit. Pone, bona fide ementem, alii donare, an hic tenebitur? nequitam: caußam enim habet ab eo, qui nulla actione tenetur, non potest ergo esse deterior. Facile intelligitur non posse dari hanc actionem aduersus hæredem nisi quatenus ad eum peruenit. Hodie tamen malæ fidei possessoris hæredes sine discrimine adstringentur, vid. supra.

§. 13.

Si metus caußa sit restitutio eadem sunt principia. Deriuat hanc *GVNDLING* in *Comp. ff. h. t. §. 10.* a *Prætor* *L. OCTAVIO* qui *A. V. C. 678.* tribunali infedit. Si res via quoquam expressa adhuc exstet apud quemquam, si que is in lucro sit, semper tenebitur *l. 14. §. --- §. 3. b.* Sufficit enim hoc docere --- ex hac re eum, qui conuenitur, esti criminē caret, lucrum tamen sensisse; isque restituet fructus eo tantum modo, quantum ex iis adhuc locupletior est factus *l. 12. pr. b.* vide quoque *l. 18. eodem.* Datur hic actio post annum i. e. per triginta annos *l. 14. §. 1. L. 21. §. 1. b. L. 4. in fine Cod. eod.* Neminem mordeant verba *L. 21. §. 1. nullo tempore*, haec enim spectant tempus antiquum. Fraudator si nulla re dicitur sit, tenebitur intra annum utilem s. quadriennium. Etenim *l. 14. §. 3. b.* In hac, inquit, actione non queritur, sufficit enim hoc docere (v. supra) Hæc actio autem est illa, quæ post annum intenditur, vt ex *pr.*



*pr. huius legis appetet. Vnde in ea, quæ intra annum tan-
tum competit, omnino queritur, utrum is, qui conuenit,
an alius metum fecit, i. e. ea, quæ ad quadriennium adstricta
est hæc, quæ contra malæ fidei possessorem instituitur, &
vice versa. Eaque datur, etiam si res non exsterit, & fru-
ctus etiam percipiendos exigit l. 12. pr. b. Aduersus hære-
des agitur, quatenus ad eos peruenit l. 16. §. 2. l. 19. b. de
redditione pretii ab auctore percepti supra §. 6. iam disputauim-
us. Nulla hic ratio recedendi a principiis, quorum in præ-
cedentibus fundamenta iecimus. Nil iuuat H V B E R V M
l. 3. Cod. b vbi: non redditio pretio; non loquitur enim de
vi compulsiua, quam requirit restitutio, sed ablatiua.*

§. 14.

Hodie hac restitutione non egemus. Inuenta fuit stri-
eti iuriis negotiorum ieu caussarum formulariarum in gradi-
tiam quibus eriam solis in Digestis applicata reperitur. Li-
cet postea in Codice ad negotia etiam iuriis gentium transla-
ta sit. *Egregius BOEHMER Tr. de Action. Sect. II. cap. II.
§. 42. 43.* siveque hodie, quantum utilior est actio restitu-
toria Rei Vindicatione, vsum habere posse videatur: tamen
vere non magna eius erit utilitas. Non amplius datur in
quadruplum cum non vsum actionum penalium in Germa-
nia docuerit THOMASIVS. Sæpe possessori premium re-
stituendum, quod in Vindicatione cessat. Ad commodiorem,
quam præ Vindicatione hæc actio habet probationem non
opus est hac via. Suppetit pinguius remedium, spolii scilicet,
quod Praxis architecta est; quod largitur aduersus quem-
uis, etiam bona fidei possessorem; quod nullam aliam nisi
spoliationis probationem requirit; quod perpetuum est.
*V. ZIEGLER ad Can. Redintegranda & melior Perillustr.
BOEHMERVS in Iure ecclesiast. Protest. Lib. 2. tit. 13. Vni-
cus*

cus remanet casus, vbi applicanda Prætoria actio, quem habet BOEHMER, *Tr. de Action. l. c. §. 43. n. u.*

§ 15.

Actio de dolo malo, cuius formula ad C. Aquill. Galum Prætorem, originem refert, ut p̄eclare commonstrat NOODT. de *Forma Emend. Dol. mal. c. 5.* in termino, quo exspirat, reliquarum constitutidinem deserit, nec cæterum ad regulam subacta. Singularia autem inde sunt, quod hæc actio famae molesta est. Distinguendum scilicet etiam in hac duplex iudicium. Alterum persequitur rem aliorum patrimonio immixtam eiusque in eo solo cardo versatur, ne hi pretium habeant, aliis immo erexitibus interuersum. Hæc actio perpetua est s. tricennaria. An vero datur contra quemuis possessorum? Vereor, ne ipsis dupondiis rudior videatur, qui hanc quaestione affirmet. Omnes enim negant. Notissimum est, caussam dolii non facere vitium reale v. LUDOVICI *Diff. de vitio reali & personali.* Quis vñquam actionem in factum de dolo, dixit in rem scriptam? At vero non desunt tamen, quae incautiorem possent distractare. Datur haec actio aduersus haeredes, quatenus ad eos peruenit, i. e. quatenus ea re locupletior ad eos haereditas venerit, vt ait CAIVS l. 26. b. t. *doloue malo eorum factum fuerit, quominus peruererit,* quod addit PAVLLVS l. 27. Illustrat haec magis CAIVS l. 28. In heredem, inquiens, *perpetuo dabitur: quia non debet lucrari ex alieno damno.* Cui conueniens est, vt & in ipso, qui dolo commiserit in id, quod locupletior esset perpetuo danda sit in factum actio. Nam si actio in factum contra haeredes datur, ob id solum, quoniam locupletiores sunt, & quoniam non debent lucrari ex alieno damno, non vero, quatenus haeredes sunt: concludi poterit, quemuis etiam non haeredit, attamen dolo alterius locupletiorem, aequi teneri. Si obiicis, diuerlas esse ha-



haeredum & successorum singularium rationes; respondebitur: ergo actio in factum datur in haeredem, ut tales. Hoc tu negas ac peregas. Concedendum ergo erit, omnes, qui ex dolo aliorum profecerunt, teneri. Ultra vrgetur, causa ex l. 17. b. t. vbi V L P I A N V S ita: *Hæc actio 1) in haeredem & 2) in successorem datur duntaxat eo quod ad eos peruenit.* Quis nescit successores, quoties haeredibus ad latus vel frontem ponuntur, & generatim, significare eos, qui titulo singulari adquirunt? Addo l. 15. b. Item, si quid ex dolo procuratoris ad dominum peruenit, datur in dominum de dolo actio in quantum ad eum peruenit. Hic tertius non est haeres. Obicis: at Procurator sustinet personam mandantis, vnde hic non est tertius. Respondebitur 1) numquam sustinet, si decipit procurator cum fraudes ei non sunt commissae. 2) Mandator hic non conuenitur, quia mandator est, sed in quantum ad eum peruenit. Obire videtur l. 10. Cod. de rescind. vendit. vbi venditori decepto denegatur aduersus tertium vindicatio. Nam, cum restitutio id tantum tribuit in stricti iuri negotiis, quod in caussis bonae fidei aequitas legum agnoscit: quis dabit doli actionem in tertium possessorem, qui compendium habet. Sed hanc legem c o c e r r i in *Iure Controv. b. t. Quæst. 4. Resp. ad Obiect. 3.* de dolo incidente explicat. Vide, quid regeras. Sed regeri potest facillimo negotio. Potissimum praefidum est in c i d. leg. 10. Cod. Apertissime ibi actio contra tertium possessorem etiam in negotiis haud formulariis excluditur. Quod de dolo incidente interseritur in legibus Romanis ignoratur. V. NOODT l. c. cap. 7. seq. Non negamus hanc inter dolum incidentem & causam dantem distinctionem rationi esse consentaneam. Nec negamus, eam tamquam longa consuetudine in foro Germaniae introductam ibi debere defendi. Sed inde nondum probatum est, eam & iuri Romano cogniti.

cognitam esse, nisi forsitan persuasus sis, nil esse aequum, sanum, laudabile, quod sapientissimos Romanos fugerit. Non poteris ergo Legem Romanam explicare ex distinctione quadam, post tot secula demum in germanico solo enata. Si actio in factum aduersus haeredes datur; non ut haeredes, sed ut locupletiores, non sequitur tamen, eam dari aduersus quemuis, qui in lucro sit. Datur enim non ut in haeredes, sed ut in haeredes locupletiores, ergo haeredis qualitas hic tamen quodammodo in rationem venit. Eadem responsio est ad l. 15. b. Successor vero in l. 17. b. opponitur quidem haeredi, sed non ut successor singularis, sed ut haeres praetorius, qui non facile haeres Romanis dicebatur. Transeo ad alteram actionem, quae ob dolum intenditur. An haec dabitur contra quemuis qui circumscriptio- nis gnarus rem tamen acquisiuit, an contra deceptorem tan- tum? Prioris nullum vestigium in Legibus, vnde posterius communis consensu receptum. Quod de redditione pre- tii supra tradidimus hic repetendum.

§. 16.

Hodie cum omnia negotia bonae fidei sint, restitutio ex capite doli cessat. Vnde actio, cuius alienatio dolo im- petrata est adhuc continuatur, ac si nil actum esset. Rerum alienatio in se irrita est, licet dominium vere transeat. Quod potissimum probat c. l. C. 10. de rescind. vendit. non labefactatum argumentis *coce II cit. loc.* Aduersus haere- des agimus, ut tales. Ipse fraudator nulla temporis praescriptione, ne triginta annorum quidem a redditione libera- tur. Est enim in perpetua mala fide, quae omnem elidit praescriptionem iure Canonico. Licet hoc tantum de re- rum praescriptione verum sit, hic vero directo nil praescri-

C

do multorum ambas.



batur, nisi actio aequitate s. vt NOOD T adpellat, ex bona fide orta, tamen indirecto simul res usurpienda est, vnde non immerito rerum praescriptioni similis habetur. Porro non omnis actio doli hodie exclusa est. Producta enim haec est a Romanis ad negotia bonae fidei in casu, vbi nil cum fraudatore erat contractum, attamen is dolo laeserat. Haec de dolo actio hodie in foris quotidie personat. Nec a principiis Romanis recedimus, nisi quod contra haeredes, vt tales iudicium demus.

§. 17.

Actio minorennum laesorum etiam duplex est. Si dolus probari potest, aut saltim emtor minoris rem esse, quam emit, scierit, sine discrimine ad laesionem reparandam tenebitur. Idem est, si possessor quidem in dolo non sit, attenuam locupletior sit rei possessione, nec ullo alio modo minorenni prospici possit, quo casu ex aequitate nascitur aduersus eum restitutio. Vtrumque probatur per l. 13. 14. b. Bonae vero fidei possessori, i. e. ignorantis rem minoris esse pretium restituendum esse, quod dedit, mihi dubium non est ex praecedentibus. Dominium enim vere transiit, vnde rei vindicatio cessat. Actio vero ex aequitate non potest esse innocentis possessori iniqua. Malus e contrario & improbus possessor, si pretium acceptum in rem minoris versum sit, reddere, quod in rem versum, docent Practici vid. STRYCK V. M. Tit. de reb. cred. Id peculiare, quod nec ex aequitate lucri apud alios exstantis post quadriennium hic actio prodita sit. Ratio forsitan inde petenda, quoniam iam integra minorenitas profuit laeso iuueni ad conseruanda queuis iudicia, vt inde, si adhuc XXX. anni adderentur, nimis grauarentur alii, quibus ab his coniunctionis periculum est.

§. 18.



§. 18.

Rescissoria actio anomala est. Haec enim licet aequitatis causa introducta, tamen in aequitate directo non nititur, sed in facta aliqua continuazione juris, quod temporis praescriptione amissum, ut incontrouersum est. Vnde si res repetitur, realis quaedam Praetoris actio subest, vindicationi non absimilis. Nil igitur hic cuiquam precii restituuntur, licet aduersus omnes agatur, etiam, qui mala fide possidere desierunt. Inclusa est, quadriennii termino, numquam coarctanda, etiamsi vnicus tantum dies praescriptioni defuerit, de quo egregie G V N D L I N G in *Gundlingian.*

P. XXVI. p. 23 -- 38.

§. 19.

Nolo iam procedere ad restitutionem ob capitibus diminutionem datam, & eam, quae in casu alienationis iudicij mutandi causa factae conceditur, de qua posteriore exstat elegantissima *Diss. Viri Illustris IO. C H R I S T. W I L H. S T E C K I I* nuper Francofurti prodita. Instituti limites longiores ambages praecidunt. Cum filum rumpendum sit, id eo excusatius sit hoc loco, cum prior actio nullius, posterior ratioris in Germania vsus sit. Praecipua vero principiorum, quae supra proposuimus, virtilitas est, vt in iis casibus, vbi ex clausula Praetoris generali fit restitutio, cum in iis pecularia prodita non sint, generalis ista omnium restitutionum indoles applicari, & hoc modo facile discerni queat, an locus sit actioni, nec ne? Denique subiucere placet verba *C V I A C I I*, qui omnes actiones restitutorias in compendium coniecturus *Comment. ad tit. ff. de Restit. in integr. oper. prior. Tom. I.* ita ait: *Huius Edicti*

C 2

sex



sex sunt clausulae. Ex prima (sc. metus) datur propria actio, restituitur & pristina. Ex secunda (sci. dolii) est propria actio vel arbitrio iudicis restituitur pristina, si qua sit: sed propria illa, quae datur, famosa est. Et in summa haec sunt in hac restitutionum quaestione singularia, ut sit una tantum restitutio famolà, una perpetua (sc. ob capitis diminutionem) una non actio, sed extraordinaria persecutio (sc. ex capite minorenitatis.) Et ex tertia clausula extra ordinem executio fit, cognitione praetoria. Ex parte quarta in debitorem capite minutum pristina actio restituitur, rescissa capitis diminutione, eaque actio perpetua est. Ex quinte quoque praesentibus contra absentes, & absentibus contra praesentes, in integrum restituitur, & ob id rescissoria dicitur. Porro ex ultima clausula est etiam iure actionis restitutio in integrum ob id, quod factum est, futuri iudicij exitandi causa.

§. 20.

Iam ad TE accedo CANDIDATE PRAENOBILISSIME.
CVIVS in gratiam aliquid scribendum fuit more consueto. Meruit TVA diligentia & morum, quo inter nostrates commendabilis fuisti, lepos, publicum aliquod meum testimonium hoc imprimis tempore, vbi solemne aliquod virium & profectuum specimen in Academica palaestra editurus es. Eiusmodi testimonia cum alias brevibus litteris comprehendi soleant, quae praeter suavies quasdam & urbanas formulas; de salutandis parentibus iussus; de temporis angustia, & laborum nimia oppressione, aut minus commoda valeductine, querelas; iniurias interdum Candidatorum; parum plerumque continent: malui hac vice, miscere utile dulci, simulque aliquem ex iure locum indagandum suscipere. Ap-
pre-




precor faustos & felices studiorum & conatuum futuri temporis successus, T Y A Eque me amicitiae commendatum vt habeas, rogo.

§. 21.

Est adhuc de quo compellandi sunt ORNATISSIMI CVIVSVIS ORDINIS FRIDERICIANAE NOSTRAE COMMILITONES. Maxime, quod omnes agnoscunt, utilitatis est disputandi exercitium, vt ideo ex re cuiusque sit, in Academiis, quam frequentissime istum puluerem agitare. Limatitur ingenium, & ad Aggressorum subtilitates tamquam ad cotem aliquam acuitur. Praesens ex arena consilium capiendo habitus acquiritur. Ipsam scientiem certaminibus versatam fidelius seruat memoria. Est haec vmbra imago quaedam vitae forensis, ad quam praeparantur plerique, vbi non exiguo Suadae flumine, contradicendi feroce, & animo, stomachoque inter rixas temperato, opus est; quae omnia parantur quodammodo, vbi ad litterarias quoque disceptationes saepius acceditur. Inde in omnibus Academiis sedulo vacatur istis exercitationibus. Nos quoque annis praeteritis huic studio non defuimus, & iucunda adhuc recordatione recolo horas, ante annum, & quod excurrit, a numero quodam bonaे spei luumenum disputando quauis septimana exactas. Sed nescio, quonam pacis amore, abscesserit eo ex tempore pugnax hic animus ciuibus nostris. Deserta sunt imprimis a Iurisprudentiae Alumnis tam publica, quam priuata stadia, vt peregrinum quid & rarissimum auditu sit, arenam a Iuris Cultore intrari. Quae ita fuga, OPTIMI COMMILITONES? An sanguis fundendus, aut vita in ambiguo ponitur, vbi inter nos certatur? Si hoc; nolim interesse, nam mihi praecipua cura, vt vita ac cutis



cutis salua sit. Vere vt quisquam, ne aqua interdum initio
haereat, vnde aliorum ludibrium. Bone Deus, quantis Vi-
ris non haesit! Quam haereret haud raro iis, qui aliis ver-
bulo lapsis effusissimo cachinno sapientiam produnt! Tan-
dem, quam caret ista res omni periculo, cum non de pa-
triae salute dimicetur, & aliquid quoque operis relinquent-
dum sit ei, qui certamen moderatur, ne interim ignavia tor-
peat; Optant nonnulli, & impellunt, vt restaurentur di-
sputandi exercitia. Praesto sum VESTRIS vsibus, COMMI-
LITONES. Accedite, nomen date: conueniet inter nos
de more in ipso instituto obeundo. Sed vt, qui interesse
volunt, in tempore desiderium indicent rogo.



Juristische Schriften in Hendels Verlage.

- Bescke D. Io. M. G. commun. de cessione iure deliberandi & inuentario in adeunda hereditate, 4to. 773. 3 gr.
- de alienatione hereditatis ad explicandam Leg. II. Dig. de hered. vel act. vend. & componendas clarissimor. ICtor. lites, med. 8vo. 774. 12 gr.
- über die Quellen der Moralität und Verbündlichkeit, als die ersten Grün: de der Moralphilosophie und des Naturrechts, 8o. 774. 5 gr.
- Brunquelli, Io. Sal. opulcula ad historiam & jurisprudentiam spectantia, edidit atque coll. D. Henr. Io. Ott. Koenig, cum fig. med. 8v. 774. 1 thl. 16 gr.
- Charondae, (Ludou. ICti Paris.) de iurisdictione & Imperio libellus, 4to. 2 gr.
- Crellii Christ. Ludov. Dissertationes atque Programmat. Falc. I - IX. cum figg. 775. & 78. 3 thl. 18 gr.
- werden fortgesetzet; jeder einzelner Falc. kostet 10 gr.
- Heisler, D. Phil. Iac. exortationum academicarum ad diversas materias iuri pertinetium fasciculus, de annis 1750 - 1775. X. dissert. continens, cum indice, 4to. 10 gr.
- Abhandl. von Verjährung der Blutschande und übrigen fleischlichen Vermischungen in verböschten Graden. ebend. 778. 3 gr.
- Beantwort. der Frage: ob die Zulassung eines Judeneydes wiber einem Christen bedenflich sey? ibid. eod. 3 gr.
- Karo Rabbi Ioseph, sententiae Rabbinorum de successione ab intestato & testamentaria, collectas in libro Schulcham Aruch, latinae redditae per C. G. Meyer, cum access. G. H. Stuck, & præfatione Dan. Nettelbladt. med. 8vo. 775. 10 gr.
- Kemmerich, D. H. lib. de probatione confutudinis et obliterantiae, tam privatae, quam publ. sive Imperialis, cum indice necessario, 4to. 6 gr.
- Madiln D. Georg. Sam. exercitationes academicæ Halenses ad præstantiora maxime iuri ciuilis capita pertinentes, fasciculus; XIII. dissert. continens, cum indice, 4to. 18 gr.
- D. Lud. Gottfr. opusculum I. vicissitudines substitutionis exemplaris, eiusque veram indolem continens. 4to. 775. 9 gr.
- Menken, G. Lud. introduct. in doctrinam de actionibus forensibus, ad usus prælectionum acad. edita a G. S. Madiln. 8vo. 759. 10 gr.
- opulcula, quibus multa maxime iur. ciuil. capita ad usum fori spectantia proponuntur, in vnum Vol. coll. 8vo. 770. 20 gr.
- Murezzi, (Marci Antonii, ICti & ciu. Romani celeberr.). commentarii breves & perpicui in titulos ad materiam iurisdictionis pertinentes. Argentor. 1608. recula Halee, 4to. 771. 3 gr.
- Reuter, D. Io. Hartw. exortationes academicæ præstantiora maxime iuri ciuilis capita illustrantes. IX. dissert. continens, cum indice, 4to. 9 gr.
- Siccama, Sibr. Tetard. de iudicio Centumviralib. II. iterum recentuit, animadversionibus intrixit, & opusculum argumentum illustranibus auxit. Car. Frid. Zepernick, med. 8vo. 776. 21 gr.
- Tosi, And. gegenwärtiger Staat des pâstl. Hofes, worinnen Nachricht von den Ehrenstellen, Congregationen, Gerichtshöfen, Aemtien und Ceremonien derselben ertheilt wird; aus dem Italiâischen mit Vorrede und Anmerkungen von P. E. Bretram, 8v. 771. 10 gr.
- Westhal D. E. Thrl. Abhandlung von denen Pertinenzstücken eines verkauften Hauses; Halle 72. 4to. 2 gr.
- rechtliche Bestärzung der Meynung: daß herrschaftliche Forderungen aus einem Vertrage zwar mit einer stillschweigenden, doch nicht privilegirten Hypothek vertheilt sind, ebend. 78. 2 gr.
- rechtl. Abh. v. d. Würfung eines Erbverzichts in Absicht der Nachkommen, eb. 778. 2 gr.
- von der Rechtskraft derer Codicille, welche in einem daneben vorhandenen Testamente bestätigt sind, ebend. 778. 2 gr.

ULB Halle
002 169 525


3



Sb.



Farbkarte #13



B.I.G.

NESTI CHRIST. WESTPHAL
INTECESSORIS HALENSIS
PROGRAMMA
DVPLICI ACTIONE
RESTITVTORIA
IBVS FERE IN INTEGRVM
TITVTIONIBVS PRAETORIIS
COMMUNI.

HALAE MAGDEBURGICAE MDCCCLX.
RARITATEM RECVSVM MDCCCLXXVIII.

LITTERIS HENDELIANIS.